



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

II. Proponitur nostra opinio de aetate Abdiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

DE PROPHETIA ABDIÆ.

I. *Disputatur de Abdia.* II. *Proponitur nostra opinio de etate Abdie.*
 III. *Probatur Prophetia Abdie ymois & antiquitas.* IV. *Refelluntur
 argumenta Adversariorum. Unicum argumentum.*

I. **A**BDIAM Sichemitam fuisse, ex agro Bethachamar, tradit Epiphanius *Disputatur*
 Bethacaram, seu Bethacarem, urbem montanam fuisse in tribu Juda, proindeque lon- *de Abdia.*
 ge Sichemo disitam. Quid si legamus, *Bethacad*, qui vicus fuit Samariæ, uti ab Euse- *Epiph. & Dor,*
 bio & Hieronymo notatum est? De tribu vero Abdie, ejusque parentibus, nihil pro- *de vit. proph.*
 ditum est. Nos de ejus etate dicturos summæ ambages circumfuitunt, & satis amplus *Euseb. & Hier,*
 conjecturis quidem patet locus, firmæ vero ac certæ assensionis vix exiguus. Sunt enim *de loc. Ebr,*
 qui Achabi Israëliti regis etate floruisse Abdiam volunt, atque hunc ipsum esse *3. Reg. 18. 4.*
 Abdiam regis domus dispensatorem, qui, cum interficeret Jezebel Prophetas Domini, *Hier. in Abd. r.*
 tulit centum Prophetas, & abscondit eos quinquagenos & quinquagenos in speluncis, & *& in Epit. Paul,*
 pavit eos pane & aqua; quique irriguas convalles ad pastum pecoris ab Achabo qua- *cap. 6.*
 rere justius, obvium Eliam habuit. Hanc opinionem Ebrais tribuit Hieronymus, atque *R. Sc. Jarch,*
 ipse etiam in Epitaphio Paulæ, Abdie huic, dispensatori domus Achab, Prophetæ no- *R. Dav. Kimch,*
 men tribuit. Cujus opinionis argumenta querenti mihi, unica occurrebat ad animum *& R. Ab. Ebr,*
 similitudo nominis, qua nihil infirmius. In eadem tamen sententia subinde etiam fuisse *in Abd. 1. Ra*
 videntur R. Selomoh Jarchi, & R. David Kimchi, & R. David Ganz, ut pote quam ex *Dav. Ganz, in*
 majorum suorum auctoritate sine confutatione proponant. Aliter vero Aben Ezra: *Chronol*
ramus etatem ejus, neque possumus dicere eum esse, cujus mentio fit in libro Regum; nam ibi scriptum
est, Abdias erat timens Deum valde. Si ille fuisset ille Propheta, quare vocaret eum Scriptura,
Timentem Deum, & non potius, Prophetam? major quippe est Propheta dignitas. Pentecon-
tarchum hunc esse autumant Pseudo-Epiphanius, & ejus interpres Dorotheus, qui
ab Ochozia ad Eliam missus, duobus jam igne cœlesti absumtis, similem poenam pie-
tate sua effugit, deductoque ad Regem Propheta, ei demum comes adhæsit. At Cle-
mens Alexandrinus & Eusebius, Eliæ duntaxat corvum ponunt, silent de reliquis.
 Veteribus Ebræorum Magistris placuisse tradunt R. Selomoh Jarchi, & R. David *4. Reg. 1. 17,*
 Kimchi, Idumæum fuisse, gentisque suæ repudiatis ritibus ad Ebraicos transfuisse, pro- *& seq.*
 pheticoque demum à Deo munere dotatum, popularibus suis futura mala prænun- *Clem. Alex-*
 tiasse. Idem sensit & Abrabaniel. Fundamentum hoc est illius sententiæ, quod unos *Strom. 1. Euf,*
 Idumæos libello suo perstringat, vana prorsus & inani conjectura. Alii Osæ, Joëlis, *Chron,*
 & Amosi Prophetarum æqualem faciunt. Sententiam eandem secuti sunt præsci sacro- *R. Sel. & R.*
 rum Voluminum Canonis concinnatores, qui eum Amosum inter & Jonam colloca- *Dav. in Abd. 1.*
 runt, secutus est & Cyrillus. Sunt denique qui Jeremiæ & Ezechielis coætaneum sta- *R. Ifr. Abrab.*
 tuunt. Hos inter suspicantur quidam eum esse Abdiam, quem Paralipomena Templi *Præf. in Proph.*
 instauratoribus ἐποδιστικῆς à Josia adhibitum fuisse commemorant, una nominum simi- *min.*
 litudine ducti.

II. Quibus omnibus expensis accurate, & circumspèctis sententiis, reque ipsa ar- *Proponitur*
 tente explorata, ea mihi placet in primis opinio, quæ Osæ, Joëlis, & Amosi æqualem *nostra opinio*
 ponit. Nec enim facile discedendum arbitrator ab auctoritate vetusti Canonis, cujus *de etate Ab-*
 antiquitatem suo loco probabimus. At in eo collocatos esse liquet Prophetas mino- *dia.*
 res hoc ordine quo vixerunt, uti & Abrabanieli persuasum fuit. Causas præterea his *Abrab. Præf. in*
 temporibus extitisse reperio, cur Idumæos ita Abdias incesset: nam cum Rafin, & *111. Proph.*
 Phacee Romeliæ filius, hic Israël rex, ille Syriæ, Achazum persequerentur armis, *Amos 1. 11, 12.*
 & Hierosolymam obsidione frustra cinxissent, Ailam demum Judæis ereptam, Idu- *Joel. 3. 19.*
 mæis occupandam permiserunt. In partem quippe periculi ac prædæ venerunt Idumæi, *Abd. 10. 11;*
 multisque interfectis Judæis amplas manubias retulerunt. Traditur id in libris Regum & *G g iij*
 Paralipomenon. Hinc itaque frequentes Prophetarum ἀσθένων adversus Idumæos ex- *Amos 1. 11, 12.*
 postulationes & querelæ: Amosi puta, cum ait: *Hæc dicit Dominus, Super tribus sceler-*
ibus Edom, & super quatuor non convertam eum, eo quod persecutus sit in gladio fratrem
suum, & indignationem suam servaverit usque in finem, mittam ignem in Theman: &
Joëlis: Erit Idumæa in desertum perditionis, pro eo quod inique egerim in filios Juda, &
effuderint sanguinem innocentem in terra sua. Quibus si conferamus Abdie verba, rem
eandem utrobique significatam esse fatebimur. Propter interfectionem, inquit, & propter

iniquitatem in fratrem tuum Jacob, operiet te confusio, & peribis in aeternum. In die cum staret adversus eam, quando capiebant alieni exercitum ejus, & extranei ingrediebantur portas ejus, & super Jerusalem mittebant sortem, tu quoque eras quasi unus ex eis.

Probatur
Prophetia
Abdiae, rono-
m. & anti-
quitas.
Abd. 1, & seq.

Jerem. 49. 14.
& seq.

Abd. 1, & seq.

Jerem. 49. 8.

Abd. 8.

Jerem. 49. 7.

Hier. in Abd. 1.

Refelluntur
argumta
Adversario-
rum.
Unicum ar-
gumentum.
Abd. 11.
Abd. 13, 15, 16.

Psalm. 136. 7.

Hier. Proem.
Comm. in Abd.

Matth. 26. 19.
Jer. 49. 11.

III. Itaque cum sequentibus annis, Nabuchodonosore Hierosolymam expugnante, eadem adversus Judæos attentassent Idumæi, similibus ipsos castigavit objurgationibus Jeremias, & ipsa Abdia verba in eos olim in pari causa jactata usurpavit. Res apparebit ex verborum ipsorum contentione. *Auditum audivimus à Domino, inquit Abdias, & legatum ad gentes misit, Surgite & consurgamus adversus eum in praelium. Ecce parvulum dedi te in gentibus: contemtilibis tu es valde. Superbia cordis tui extulit te habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solum tuum, qui dicis in corde tuo, Quis detrahent me in terram? Si exaltatus fueris ut aquila, & si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus: sic autem Jeremias: Auditum audivi à Domino, & legatus ad gentes missus est: Congregamini, & venite contra eam, & consurgamus in praelium. Ecce enim parvulum dedi te in gentibus, contemtilibilem inter homines. Arrogantia tua decepit te, & superbia cordis tui, qui habitas in cavernis petra, & apprehendere niteris altitudinem collis. Cum exaltaveris quasi aquila nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus. Pergit Abdias: Si fures introissent ad te, si latrones per noctem, quomodo conticuisse? nonne furati essent sufficientia sibi? Si vindemiatores introissent ad te, numquid saltem racemum reliquissent tibi? hinc illa Jeremias: Si vindemiatores venissent super te, non reliquissent racemum: si fures in nocte, rapuissent quod sufficeret sibi. Ait Abdias: Numquid non in die illa, dicit Dominus, perdam sapientes de Idumæa, & prudentiam de monte Esau? inde Jeremias: Ad Idumæam. Hæc dicit Dominus exercituum: Numquid non ultra est sapientia in Theman? Perit consilium à filiis, inutilis facta est sapientia eorum. Merito ergo dixit Hieronymus: Excepta ordine commutato, & aliis quæ videntur discrepare, magna pars Abdia in Hieremia volumine continetur. Atque ex his satis patet Libri hujus vetustas.*

IV. Atenim qui Jeremiae coævum Abdiam esse docent, pugnabunt ipsius Abdia verbis, quæ post captam Hierosolymam omnino scripta videntur. Nam quid aliud hæc sonant: *In die cum staret adversus eam, quando capiebant alieni exercitum ejus, & extranei ingrediebantur portas ejus, & super Jerusalem mittebant sortem, tu quoque eras quasi unus ex eis.* Deinde: *Neque ingredieris portam populi mei in die ruina eorum. Tum: Quoniam juxta est dies Domini super omnes gentes: sicut fecisti, fiet tibi: retributionem inam convertet in caput tuum. Quomodo enim bibistis super montem sanctum meum, bibent omnes gentes jugiter.* Refert hæc Hieronymus ad incursum Chaldaeorum, & Hierosolymæ excidium: atque ista in eandem sententiam recitat à Psalmo centesimo tricesimo sexto, quem post deportatos Judæos scriptum alibi diximus: *Memento, Domine, filiorum Edom in die Hierusalem dicentium, Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.* Has actiones multis excludimus exceptionibus, nam primum minus hic movet Hieronymi auctoritas, qui hanc Abdia explanationem dedit admodum adulescens: *In adolescentia mea, inquit, provocatus ardore, & studio Scripturarum, allegorice interpretatus sum Abdiam prophetam, cujus historiam nesciebam.* Sin opus ab eo subinde emendatum fuisse dicas, at sciunt certè qui in literis sacris vel leviter sunt versati, de rebus futuris, sic tanquam præteritis Prophetas disserere solere: quamvis ergo hæc concederemus ad captivitatem Babylonicam & Hierosolymitanam cladem pertinere, non hinc sententia nostra de ætate Abdia convelleretur. Verum nec istis concedimus Hierosolymæ vastitatem præsignificari. Nam cum ait Propheta: *Extranei ingrediebantur portas ejus, referri ista possunt ad urbes plurimas, quas occupasse Syros necesse est, interfectis uno die centum & viginti Judæorum millibus, ducentis vero captivorum millibus in servitutem abductis.* Præcipue vero Ailam notat, quam expulsis Judæis Syri Idumæis tradiderunt. Addit autem: *Et super Jerusalem mittebant sortem, utris nempe post expugnationem cederet.* Minime vero ad Idumæos verba hæc spectant: *Quomodo enim bibistis super montem sanctum meum, bibent omnes gentes jugiter, ne juxta plurimos quidem ex iis, qui postremum bellum Chaldaicum hic notatum volunt.* Ad Judæos enim illic convertitur oratio, quos hac pollicitatione solatur Deus, futurum ut quas tolerarunt calamitates, easdem hostes ipsorum patiantur. Genuinam hanc esse significationem metaphoræ istius ostendit Christus ipse cum ait: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.* Præclare mentem Abdia aperit Jeremias, sic ipsum velut interpretans: *Quia hæc dicit Dominus: Ecce quibus non erat judicium, ut liberent calicem, bibentes bibent; & tu quasi innocens relinqueris? non eris innocens, sed bibens bibes.* Ad Idumæos, sed de Judæis verba facit. Sensus autem hic est: Si Judæos, quos summo favore ac benignitate complector, noxarum suarum poenæ manent, putasne, Idumææ, impune tibi erunt scelera tua? Par est apud Abdiam sententia, sed inversa oratio: alloquitur enim Judæos, sed de Idumæis: *Quemadmodum, inquit, in sancto Monte*